, cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang.


In F. Epiph.

com. Eq

com. sequ.

com.

27 Sabb.



[redacted]

10 | 15 c. | 15 –
10

50
50

Angefangen
und nicht fort-
gefahren



UNIO CORONARUM PRETIOSISSIMUS,

Vi fatorum terris ablatus, Ingentium meritorum vigore cælo redditus.

Perillustris olim & Reverendissimus Dominus,

D. REMIGIUS SUSZYCKI,

Utriusq; Juris Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis ARCHIDIACONUS, Collegiatæ Lanciciensis SCHOLASTICUS, Kielcensis CUSTOS, S. R. M. SECRETARIUS.

Cujus inæstimabile damnum,

Ad Justa Funebralia,

In Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, eidem Persoluta, memori ævo legendum, Literis lugubribus transmisit ad posteros,

M. MARTINUS BIELECKI,

Sacræ Th: Baccalaureus, Collega Major, Tylicianus Professor, Scholasticus ad Sanctam ANNAM Cracoviæ, &c.

Anno Salutis 1705.
Die 18. Julij.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

Margaritum fulgens, qui arguit ſapientem.
Proverb: 25.

Rectè Doctor eruditus Margarito fulgenti aſſimilatur, quia dùm emendationem morum, dùm ſupernorum ſcientiam, deſiderantibus, ac pie quærentibus animis oſtendit, quaſi aureo ornatui majorem inſuper gratioremq; fulgorem gemmæ ardentis adnectit. V. Beda in hunc locum.

Vir bonus & ſapiens (qualem vix reperit unum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo)
Judex ipſe ſui; totum ſe explorat ad unguem
Quid Proceres, vaniq; ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi inſtar habens, Teres atq; Rotundus.
Auſonius



PERILLVSTRI



REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ANDREÆ OLSZOWSKI,

Canonico Cathedrali Cracoviensi & Sandomiriensi, &c. &c.

Ultimæ voluntatis pie defuncti primo

EXECUTORI.

Domino & Mecænati Amplissimo.



Ximia magni viri decora, sub specie Unionis, quem istæ paginæ inumbrant, posthumis legenda sæculis, non potui nec debui, nisi Magno honori Tuo dedicare. PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. Potestatem ademit ultima Testatoris voluntas, quæ vim legis vicemq; præcepti habet. Ille te primum constituit, ut quod ille poterat, Tu posses bene facere quàm plurimis. Nec me Patrocinij indigentem, debuisse alios quærere Penates, aliumq; Larem, nec alios pulsare postes, ipsa conscientia recti admonuit. Nimirum ille Celsissimæ Domûs Tuæ faustis in penetralibus insignia majoris fortunæ, incrementa & auspicia se accepisse, grato pectore dignoscens: in Te Avitorum Paternorumq; splendorum justum hæredem, respexit; gaudens inveniri aliquem, cui posset gratari. Divinum illum planè Celsissimi Principis Avi Tui ANDREÆ

OL-

OLSZOWSKI Archiepiſcopi Gneſnenſis animum in omni turbido, nunquam non auguſta cogitantem, vim conſiliorum cæleſtem, prudentiã fato Regnantiũ parem mirabili quodam genio, in Te transfuſa tàm eminentia bona, cum Nomine igneo & virili conſpicatus, contineri non potuit; quin in tuam dignitatem toto affectu verteretur. Jucundum illi erat recogitaſſe, Majeſtatem illam Primatialem, auguſta protectione, toties in ſuum decus adniſam. Vultum illum ex magnifico & placido fulgentem, cuncta ſerenantem, qui nunquam ſibi ſub triſti nubilo refulſiſſet: in Te redivivum venerari, ſingulari felicitati ſuæ tribuebat. Quantum verò gaudij & dulcedinis capiebat, quoties excelſam indolem Tuam omnium decorum capaciſſimam, majoribus ire per altum auſpicijs videbat. Mentis celſitudinem ſummis deſtinatam honoribus, agendi dexteritatem, & heroicam induſtriam, congrua virtutum & ſcientiarum luce circumfuſam, ubiq; triumphantem, toties expertus ac miratus, magnorum inde faſtigia honorum, tacitus ominari & gratulari videbatur. Et certè non vana auguria ſunt, quæ tot præclara tua merita præcedunt. Propoſita tibi magni momenti Commiſſionum perplexa negotia, ſtupendum prudentiæ Tuæ robur teſtata ſunt. In auguſto Themidis Polonæ Areopago, Tribunali Regni, Magnus apparuiſti dicendi oraculo, maximus judicandi & ſentiendi tripode incorrupto. Ergo tam glorioſis progreſſibus intende proſperè PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, eòq; gloriæ procede: ut Magni Avi Tui Principalem purpuram, & Primatialem eminentiam capeſſas, ſed ſuperes annos. Ita precatur

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONI VESTRÆ.

Humillimus Servus
M. MARTINUS BIELECKI, S. T. B.

UNIO
CORONARUM
PRETIOSISSIMUS,
Ingentium Animarum Icon & Index.

Multùm illæ de Cælo trahunt,
Unioni totus ab æthere nitor.
Unio Naturæ miraculum, Virtutis pretium,
Fortunæ delicium, Artis indicium, oculorũ jucundum ſpectaculum.
Viva hæc magnarum Mentium Symbola;
Quæ non ſine miraculis nituntur in lucem:
Cùm ut Phænices, ſæculis naſcantur.
Vulgaria ingenia facile proveniunt;
Grandibus deſtinata negotijs, rarò & tardè comparent,
Ut raritate pretium augeant,
Natura eſt illis Virtus, cum qua naſcuntur;
Hinc honeſta complectuntur, poſtquam audiunt.
Cæcum alioquin Fortunæ Idolum,
gaudet in meliores ſua munera ſpargi:
gloriæ non contumeliæ avidum.
Licèt quandoq; peſſimos mortalium Conchylia honorum ornent,
Ejuſmodi, ſibi ipſis, non fortunæ opprobrium accerſunt;
Qui aliàs laterent, in dignitatis ſplendore produntur,
Stelliones, quibus pro luce lues.
Bonarum artium ornamenta majoris fortunæ illicia,
Maſculos animos & generoſos poſcunt;
Quibus igneus vigor circum præcordia non cornea fibra.
Horum conſpectus certat grato cum lumine Phœbi.
Hinc vidiſſe tales ſemel non eſt ſatis,
Si fato inevitabili occidant;
Muſis & Gratijs ferale vulnus infligitur;
Gemitus pro Cantu imperatur,
Triſte juſtitium indicitur.
ITA Summi Viri raræ in mortalibus gemmæ;
dùm vivunt proſpero ac ſalutari Iovis fulgore, cunctos recreant,

Soles meliùs nitere & dies gratius ire videntur.
Dum morti, cui nihil sacrum, occumbunt,
Nox Thyesthea & Ægyptiæ umbræ orbi incubuisse putantur.
Feralis illorum occasus majori jacturæ locum facit,
Quàm si pereat Unio,
Quô Ægyptia pellex Regnum æstimavit.
Etiam ut video,
Habet Mors suos mille Margaritarios, qui impunè rapiant Margaritas,
omnium rerum humanarum pretio, potiores.
Nempe (Judice Plinio)
Principium culmenq́; omnium rerum pretij Margaritæ tenent.
Tam detestabilis Orchestræ luctuosum documentum,
In solenni D. Margaritæ V. M. festo,
Sæva Lachesis exhibuit, ipso funesto obitu Tuo testatura:
MARGARITVM FVLGENS quo sapientiæ Summates signantur,
In Te, etiam post animam illustrius omnium splendere,
Perillustris & Reverendissime Domine
ARCHIDIACONE Cracov.
Divinæ humanæq́; sapientiæ Oraculum,
nunc mæstitiæ Simulacrum:
Amor Principum, nunc omnium Dolor:
Vtriusq; prudentiæ Norma; nunc mortis Scena:
Cui pullatæ Musæ hodie pro virentibus lauris
Cupresso parentant;
Vicem Præficarum gerentes,
non lachrymis, sed literatæ pietatis ministerio.
Superant Iliadum luctum tales inferiæ;
Illæ simulant planctum ad funebrem pompam:
Istarum sepiâ expressus mæror valet ad perennem memoriam.
Tu noster hodie Phæbus ut esses,
priùs toto pectore, hausisti deum
Cyrrhæa secreta moventem, omnes lauros, omnes Tripodas,
capacissimo ingenio & acri judicio scrutatus,
non poteras, nisi Themidis aut Apollinis Delphica oracula loqui.
Nec te Lyciæ Sortes fallere,
nec Cortina Phæbi poterant,
Qui

Qui jam totus animo Delius Clariusve eras.
Decebat Tuam Indolem, in Principe Regni Schola educari,
Quæ Regio animata Spiritu,
in *venerando Senio, nunquam effæta & capularis.*
Qui Principum verſari in Aulis,
gloriosè & feliciter cælitus deſtinabaris.
Ex hac Margaritifera Iagellonica Concha,
Quæ nihil marini humoris faſtum olentis admittit;
Ut publico bono pariat Margaritas,
Cæleſti gratiarum rore contenta impleri:
Traxerat hic pretioſus Coronarum UNIO,
Præcipuas unionum dotes, & ubiq; retinuerat.
Candorem ſimulationis neſcium in ore & opere;
Lævorem, rotunditatem & pondus,
In flexanima & delenifica Suada.
primo Iſocratis ſuavitatem;
altero Atticum nitorem orando æquaverat:
tertio pondera rerum loqui ſolitus,
non ſenſus jactare egentes,
addidit morum gravitatem, mira comitate amabilẽ & venerabilem.
Cæterùm,
Pretioſos etiam Vniones, ſi viſcere Concharum clauſi teneantur,
Quis æſtimat? niſi videat & probet.
Quis nôſſet Solem, niſi diem faceret?
Quis lunam orbemq; ſtellarum, niſi noctis umbras illuminarent?
Nemo laudat aurum, niſi probaverit.
Magnitudinem Vnionis Orbis Auſonius videat,
& ex menſura capaciſſimi omnium decorum animi,
vaſtiſſimi Iudicij & ſcientiarum varietate ſpectatiſſimi,
Tanquam ſuum agnoſcat.
Auguſta Romana Sapientia,
ex Juſium arcanis ſapientiſſimè diſputantem miretur,
& laudet, ſub gelida Arcto,
Tantæ magnitudinis & rotunditatis naſci ingeniorum Margaritas.
Eadem Coronarum Diſpenſatrix,

 Per-

perplexos Meandros & ænigmata legum,
subtiliter resolventem, ubi audit;
fulgidâ Cælestis Astrææ Coronâ, dignum judicavit,
verè pretiosum Coronarum Unionem.
Romana Consualia,
Novum Poloniæ credentes Consum, nè retinete?
Unio est Consiliorum:
Celsissimi Sanguinis RADOMICIANI Gemmam, ingentis pretij,
comitetur reducem.
Cujus inter præsentis temporis sæva fulmina,
Faustus fulgor eminet & animi Celsitudo,
auro notanda, gemmis signanda.
Illustrissimi videlicet Majoris Poloniæ Generalis,
Quamvis Uniones duntaxat clarescant æthere claro.
Pretiosi Unionis gloria prima Candor
nùm alieno Soli expositus, ruborem contraxerit,
Vt mos est (ex sensu Plinij) Margaritarum,
Intererat Poloniæ videre;
Quæ ornamento Coronarum Vnionem Nostrum designabat.
Incidit primò, in exploratricem ingeniorum pupillam
Celsissimi olim
ANDREÆ OLSZOWSKI,
ARCHIEPISCOPI Gnesnensis &c. &c.
Mens illa Regni Sarmatici & Intelligentia PRINCEPS,
Regum Majestatis Assistrix Sapientia:
Vbi candorem cum lævore Vnionis immutabilem animadvertit,
Innocentiam comitati conjunctam intimiùs adamavit.
Non dubitavit de Consiliorum pondere,
nec de omnigenæ eruditionis magno apparatu,
quem in Candore innocentiæ, tanquam in speculo suspexit.
Ita aliud in homine homo, aliud sapiens considerat:
Ille simulacra vultûs imbecilla ac mortalia;
Hic formam mentis æternam, ac animi figuram excellentis.
Stellatam aurô Panegyrim, gemmis distinctam,
Primatiali Purpuræ dedicatam, cum legit.

Nulla-

nullatenus à se avelli tantam Indolem voluit.
Quinimò
Altioribus Magnam Virtutem præparans honoribus,
Inter PATRITIA Nobilitatis Polonæ decora recenseri;
Generalium Comitiorum augusto consensu effecit.
En benedictum, Falcata Magni OLSZOVII Cruce Vnionem,
In censu Nobilium Coronarum, quando tuentur,
Principales Gratiæ, ultro ambiunt.
Quidni ambiant nihil ambientem?
tantùm de bono publico mereri.
Occasio merendi in promptu,
quâ nulla gloriosior, nulla difficilior.
Signaculum Legationis MOSCHOVITICÆ,
penes Illum, tanquam Cancellarium,
Magnus Rex & Respublica esse voluit.
Quem tanti muneris Adjutorem
Summæ Authoritatis & Prudentiæ Senator.
Palatinus Posnaniensis GRZYMVŁTOWSKI
ad Moschoviam Legatus, sibi adlegerat.
O quantum curarum volumen?
evolvere tamen Ille poterat;
Qui evolutam tot Historiarum seriem,
Consilij & Prudentiæ Magisterium,
Seriò non perperam evolverat.
Volvitur gemmeus iterum beneficentiæ Orbis,
Fascia Optimi Præsulis & Principis
IOANNIS MAŁACHOVII,
quàm Patriæ languentis vulnera obligare,
tàm pectora bonorum, vinculis humanitatis Præsuleæ, stringere,
Volens & Potens.
UNIONEM hunc PRETIOSISSIMUM,
Cordi magis quàm Coronæ applicuit.
ut à Candore illius candida Consilia
à rotunditate multiplicium negotiorum,
promptam expeditionem velut in circulo sortiretur.

 Vtrin-

Utrinque contentio suavis sine querela.
Ille fidelis obsequij gloriam impendit, ut prodesset;
Princeps Tæniæ suæ beneficum nexum expandit,
Ut pulchra & decora merentem Gratijs coronaret.
Lilium Ejus, grato odore famæ fragrantissimum,
complacuit triumphali ZAŁUSCIANO AGNO,
Qui pascitur inter Lilia Avitorum Decorum:
Qui hodie Regnatricis Aquilæ gemmam,
delicatam Libertatis pupillam,
Fide illibata & Principali Sapientia custodit.
Oraculorum Regni promus condusq;
Celsissimus S. R. I. Princeps.
ANDREAS ZAŁUSKI,
EPISCOPUS VARMIENSIS,
Supremus Regni CANCELLARIUS.
Hic Avunculi sui OLSZOVII æmulatus favores,
PRETIOSUM hunc Virorum UNIONEM,
Suæ aptare diademati gloriæ præoptabat.
Pulchra derivatio amoris, sed rara.
alius gratiam suam diminui indignaretur,
si in alienum pectus à Consanguineo Capite partiretur.
Vivum illud Virtutum & Iurisprudentiæ Pantheum,
Sacrarium Themidis, & Decimarum Assertor:
IOANNES MARKIEWICZ,
Iuris Utriusq; Doctor,
CANONICUS CRACOVIENSIS,
Cordatum suum pectus & offensionum pro veritate impavidum;
masculum animum Jurium Dictatorem,
In hunc fide bona transfundere conatus,
Coadjutorem Canonicatûs Cracoviensis constituit,
Devexæ ætatis præsidium habiturus.
Cordialem hanc Gemmam, venerandus Senex adhibuit,
Cujus vigore vivens, animosius spiraret,
& moriens; gratissimum Successorem non ambigeret.
Sed jam Remigio magnarum alarum,
Quia

quia Heroicarum Virtutum:
evolavit REMIGIUS ad JOANNEM.
Summa agendi dexteritas REMIGII,
Virilis eloquentiæ genio pollens:
ubiq; culmen pretij & gloriæ tenet,
quia pretiosa Margarita.
Præcipuæ Cæsaris dictatoris deliciæ,
Margaritæ adeò;
ut eas Deorum oculos appellari jusserit.
Quidni Uniones Virorum?
quorum ingeniosa opera, omni pretio majora judicavit?
MAGNUS ALEXANDER,
Iliadem Homeri in pretiosa arca DARII reponens.
Benè nihilominus Symbola rerum,
culmen inter pretia rerum habentium,
Perennibus conferri ingeniis,
augusto judicio Sanxit D. JAGIELLO Rex
Academiæ Cracoviensis Fundator:
PRETIOSISSIMAM VIRTVTVM & SCIENTIARVM
MARGARITAM,
titulo dilectionis plenò appellando.
Margaritam dixit,
tanquam Regij cordis sui oculum:
quia Filiam.
Non sivit, hanc solam D. Fundatoris gloriam esse,
Servator ejusdem & Protector,
UNIO Regum Poloniæ Magnus JOANNES,
Christianarum certa salus rerum.
Quidquid illa egregio publico benè instituit:
inter eruditorum gemmas numerabat.
Nonne hunc omnium virtutum Virum, velut VNIONEM:
Quia Regij pectoris sui oculum:
In Augustæ mentis Areopago censuit?
cum Phænicem Polonum constituit,

Qui novos Poloniæ Achilles,
futuros Asiæ everſores,
Duo gemmea corda,
Auguſtæ Domus Regiæ munimenta,
Sereniſſimos Principes ALEXANDRVM & CONSTANTINVM
ad principalis fortunæ cultum,
Virtutis & Sapientiæ Magiſterio conduceret.
Quàm immenſum gloriæ VNIONIS Noſtri Erythræum!
ab illa Regum Idea
ſic æſtimari, quem ad Viennam orientis Triumphatorem,
toti Orbi regendo parem,
Maximus Europæ Principum judicavit.
Quanta ejus Excellentiæ felicitas?
ab illo Imperantium ſpeculo,
laudari etiam, nedum audiri,
Qui cunctos mortales intelligentiâ anteceſſit.
Tam ingentibus bonis non efferri.
Non quærere ſe extra ſe,
aſt intus componere mentem ad culmen perfectionis ſpiritualis:
hoc magnum virtutis opus.
Poſt occaſum tanti Solis,
orbem Europeum victorijs colluſtrantis,
Dum cadunt altis à montibus umbræ,
ſecedere placuit in tranquillum:
ab aulæ culmine lubrico.
Quid mirum Plinio?
Margaritas ſolo ſemper gaudere cælo,
Cum ſit illis cæleſtis origo.
Certè Magnus hic Prælatus ex natura Margaritarum
ſe geſſiſſe dignoſcitur inde:
quod demptis terrenis,
jugiter animo agitavit cæleſtia:
carmina interdum Anagogica Patrio idiomate pangendo.
Sic animus ille ſacer & illimis,
non inveniens, in terra quid illum recrearet:
Cæ-

Cælestium Sphærarum Charmoniâ solabatur desiderium.
Sed aliud de illo cæli cogitârunt,
Assueto præclaris quibusq; functionibus è voto Principum sustinēdis:
Provincia bene merendi proponitur gloriosa, sed operosa.
Magnanimum pectus sapientissimi OPACCII,
Archidiaconi Cracoviensis,
vivendo & præclara agendo defessum,
animam cælo reddidit;
quæ molem totius Diœcesis regebat:
cunctos diffusa Decanatuum per artus.
Par muneri tanto Successor quæritur;
& arcano DEI judicio REMIGIVS suggeritur.
Multa Viri virtus animo multusq; recursat,
census meritorum:
vis ingenii judiciiq; in corpore debili
vivida & plane cælestis.
Idem Consus Nestorq; idem,
Subscribunt votis fata secundis:
non posse eligi meliorem.
Augustum Purpuratorum Coronati VAVELLI Patrum,
Concilium annuit.
Quis enim destinatis cæli, contraveniat?
Sacra VATICANA sedes favet Electo;
nempe quem DEUS elegit:
Supremus hominum temporumq; inspector.
En VNIO Coronarum ARCHIDIACONVS,
quia DEI & Episcopæ Cracoviensis Oculus.
INFVLAS ultro oblatas modestè recusavit;
at onus hoc operosum, amore Diœcesis almæ,
Libens suscepit.
Gaudet Diœcesis oculo visura novo,
quæ DEO placent, & prosunt hominibus ad salutem.
Stante illius ARCHIDIACONATU,
destinata publico examini tempora,
rigor tenuit cum mansuetudine,
& Spiritûs lenitate.

Paterna monita
placida, ſine turbine & procellâ:
nam ſcivit ipſum Iovem non fulminare niſi coactum.
Majeſtatem judiciorum judex Surrogatus,
prudentiâ & authoritate tuebatur.
Aſſidebant arbitræ, juſtitia & miſericordia,
favor judicio ſemper officiens,
locum ſtandi non habuit;
Decreta Sanctiſſima tulit,
quæ Radamanthus ipſe & Minos approbarent.
Vi acutioris morbi invaleſcente,
nunquam recuſavit reſponſa dare:
Noſter hic Juris-conſultus Apollo,
etiam vix per eluctantia verba,
adverſus periculoſioris negotij,
plusquam Gordium nodum;
illius fato prudentia major,
inveniret proculdubio modum;
ſi per fata urgentia liceret.
Quæ ſibi inſtare libens agnovit,
firmavitq; æterna intrepidus,
augusto Sacramentorum munimine.
poſt elicitos actus Anagogicos,
In amplexu CRVCIFIXI exſpiravit.
Heu! quot *Principum Præſulumq;*
vivens exſtitit amor & delicium!
tot cecidit pretioſiſſimus Vnio Coronarum!
Mors bene præparatum pectus,
uno ictu aggredi non auſa:
per intervalla temporis gravi morbo maceravit,
VNIONEM
Vtiq; DEO non ſibi præter mortales exuvias, deſtinatum.
Cæterum;
Ulta eſt feſtivitatis ſuæ violatricem libitinam,
Diva Virgo & Martyr,
cum ablatum terris Cælo reddidit,
VNI-

VNIONEM, MARGARITA.
Stetit à partibus D. Rhemensium Pontifex,
parens idem & Protector triumphalium Galliæ liliorum,
sub candore lilij gentilitij
purissimum VNIONIS animum,
conducens ad supernorum convallem liliorum.
Nobis verò in colle mirrhæ relictis,
unde solamen levamenq; mali?
nisi à DEO, cujus arbitrio,
nascuntur mediis gaudia luctibus.
ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME Dne.
D. CASIMIRE
à LUBNA
ŁUBIENSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Antistes Heracleensis, Nominate Chełmensis, Suffraganee, Canonice, Sede Vacante Episcopatûs Cracoviensis, & Ducatûs Severiæ,
Generalis Administrator.
Ingentium curarum adjutorem fato concessisse,
non potes non dolere:
vulgare quidem est accusare fata, quæ mutare non possumus.
Ast æstimando Virum, cui parem præsens non habuit ætas
vulnus est sapientis animi, nullâ sanabile morâ.
Cæterùm Tu Magne PRÆSVL.
Cui summum judicium & altior intellectus:
in nocte funebri, diem solatij facere potes:
Tibi verò pro tanto damno,
gaudia præmissi cumulent inopina dolores.
Illustrissime & Reverendissime Domine,
D. IOANNES POKRZYWNICKI,
Referendarie Regni, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis PRÆPOSITE, &c. &c.
Sis felix, bonusq; mortuo, qui fuisti vivo:
preces votaq; supplicum,
ad Serenissimas Regum Majestates,
ore aureo meras spirante gratias referre solitus;
D me-

memento ſupplicare REGI ſæculorum *pro capite caro*:
quod olim pro Principibus ſat diſertiſſimum,
per legem fatorum, non ſine gemitu publico obmutuit.
Vltimæ venerationis monimentum & pignus amoris,
admirandam Auguſtæ Genitricis DEI Virginis
MARIÆ Imaginem,
triumphatori orientis, ſervatori occidentis.
INVICTISSIMO olim
IOANNI III. Poloniarum REGI
primis in deliciis habitam,
Boni conſule.
Hoc alternus amor, hoc ſimplex gratia donat.
ILLUSTRISSIMUM & REVERENDISSIMUM
CAPITULUM Cracov:
gemmeo Trium Coronarum nexu CORONATA CELSITVDO,
Sacer Apex Cleri Diœceſani:
tot pretioſiſſimis Margaritis,
quot Illuſtriſſimis Prælatis & Canonicis præradians,
Auguſtum PRÆSULUM Incrementum:
pro incomparabili jactura, novis ex alto recreetur ſolatiis
& pari VNIONIS pretio redonetur.
Almæ Matris meæ, Academiæ
ſtudiorum Regni Magiſtræ,
eusq; Magnifici Domini RECTORIS,
qui fuit VNIONIS corculum.
nec non germani capitis FLORIANI
magnitudinem doloris, cùm exprimere nequeam
Timantis velum prætendo.
Te verò PRETIOSISSIME VNIO CORONARVM,
quo deſinente micare, deſinunt ſolatia noſtra:
Tres Gemmæ Cæleſtes,
DD: ANNA, CATHARINA, & JOANNES,
tergeminatis precibus evehant
U. J. Doctorem ad juſtitiæ Coronam.
Nos pullata Literarũ natio, pijs proſequi ſuſpirijs nunquã deſinemus:
modò impares dolori, verbis parcimus.
Levis dolor clamat, gravis obſtupeſcit.





Lect. 1, Noct. de
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ... ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia,* Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. Crac. Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ Magd de Paz. Virg. semid. 25. *Maÿ.*) ... CA. Vesp. ... Cap. ...